111.

LINGVA IGNEA
SIVE
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO
ORATIO

HABITA IN EIVSDEM TEMPLO

Ad Eminentiſsimos

S. R. E. CARDINALES

A CAROLO FRANCISCO CECCARELLO ROMANO
Sem. Rom. Cler.



ROMAE, Typis Hæredum Franciſci Corbelletti. 1638.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentiſsimo Principi

FRANCISCO

CARD. BARBERINO

S. R. E. Vicecancellario

CAROLVS FRANCISCVS CECCARELLVS F.

LINGVAM IVONIS eloquentiſsimam, vt coram Te feliciùs perorarem, Eminentiſsime Princeps; accepi: ſed in ore meo frigeret vel ignea, niſi ab Nomine Tuo petiſſet orationis exordium. Si ex arte facundiæ debet Orator initio conciliare beneuolentiam

Auditorum, à Te profectò hæc debuit auſpicari, cuius nomen auſpicatiſsimũ, venerationi eſt omnibus, & amori. Effeciſti virtutibus Tuis vt ad perfectam eloquentiam, & omnibus amabilem, ſufficiat vnum loqui BARBERINVM. *Hunc qui protulerit ſolum, dixerit ſanè compendio, quidquid ad laudationis pompam operoſa Rhetorices ambitio meditatur. Ità vel nomine ſolo potes eſſe orationis apparatiſsimæ, & argumentum, & ſuppellex. Accedit, quod* IVONIS *lingua pauperibus grata eſſe conſueuit: His gratior eſſe non poteſt, quam ſi nomen hoc proferat, quod Aſylum egeſtati Romæ tutiſsimum præbet. Quam plurima liberalitatis exſtant in pauperes Tuæ monimenta, plura latent: in illis fama loquitur quod feciſti; in his, quotidie facis, quod fama tibi ſuperſtes, vel Te inuito loquetur. Hæc interim* LINGVA *præfabitur abundè paucis, & dicet,* SE PRO PAVPERTATE DIXISSE, TE VERO FECISSE. *Vale.*

LINGVA IGNEA.

LINGVAS Apoſtolorum igneas, ac purpuræ veſtrę concolores, EMINENTISSIMI PRINCIPES, ex-ceptura propediem in purpurà, Religionis ter Auguſtæ maieſtas expectat, vt quæ ignitũ accepit Verbum è cælo demiſsum, altiſsimo noctis ſilentio: linguam ei proferendo non imparem, iàm medià luce cùm tonitru, ab igne ſimùl inueniat. Sed ecce liberalitatis impetu quodam, cælum expectatione tantà celerius, ſpem occupat noſtram ac vota præuenire, & quaſi ſpecimen præbiturum, muneris poſt diem quartum edendi, machinis igneis, arte nouà: in hac igneà

Prou. 30. *Sap. 18.* *Act. 2.*

veluti ſcenà, quam purpuræ ſacræ fulgor accendit, vobis, vt ne aberret imago, Apoſtolorum cætum referentibus in Auguſtiſsimo longè conſeſſu, LINGVAM dat IGNEAM in IVONE, ECCLESIASTARVM ardentiſsimo, integerrimo IVDICVM, eloquentiſsimo PATRONORVM. Opperiebatur ille non in cœnaculo, ſed in cœnâ, quà de more ſacris operatus, epulabatur victimâ Deo fœtâ, cum delapſa diuinitùs flamma ſacrificãtem ambiuit igneo cæli præſidio, dum linguæ tot oraculis deſtinatæ, vim adderet ſuam, & ſuccedaneum ſibi parturiret ignem in illâ, facili puerperio felix flamma: Nimirum hæc lingua iam ab ſanguine Chriſti colorem ignis imbiberat, flamma calorem addidit, ignem fecit. Ac ne quem forte lateret ecquis hunc Spiritus ignem euentilatum accenderet, en orantem ſuperuolat è cælo Columba; ſplendidiſsima diuini Spiritus vmbra luce in tantâ, vt igneæ linguæ, vim, Spiritus; Columba ſuauitatem adijceret. Vos in tantis cæli muneribus eidem aures, & animos, vt abterrâ non abeat indonata, commodate.

Sacrificantem cæleſtis ignis ambiuit. Sur. 19. Ma.

Orantem Columba ſuperuolat. Sur. .6.

Ignẽ Apoſtolis Deus Verbi Diuini Parens formauit in linguã, vt obſoleſcẽtem Mundũ, ac miſerabili ſitu ſqualentem, velut aurũ igne purgarent ardentiſsimi Verbi calore, vt creati Iudices Mundi, ſcelus omne conſumerent ſeueritate ſententiæ,

Gregor. homil. 30. in Euang.

Matth. 19. Chriſoſt. homil. 4.

tentiæ, vt Patroni mortalium apud Deum, cælum faciliùs penetrarent, ignis ingenio, qui acuminatus in cuſpidem, cælum armatus inuadit, ac permeat Victor violentiâ cæli rapace. Adeò Mundi Patronis, ac Iudicibus, & Oratoribus ſacris, ad diuerſiſsima munia, liguam aptiſsimam ſufficere debuit Ignis, ac potuit Solus; vt iàm nihil ſit admodùm quod mireris, ſpecioſiſsimo muneris in Apoſtolos collati cōpendio, linguam Igneam IVONI cælitùs eſſe conceſsam, qui munia ſolus obiuit Eccleſiaſtæ, Iudicis, ac Patroni, in quibus quidquid protulit, vel ſanctitas fuit Auditorū ab ORATORE SACRO profecta, vel ſceleris pernicies ab IVDICE, vel Clientis ſalus à PATRONO. *Matth. 11.*

Linguam in Oratoribus ſacris igneam incendia verbis excitare, non animi tantùm inflammati calore ſenſerunt: ſed etiam ipsâ luce, deprehenderūt oculi perſpicaciores Auditorum. Vidit olim Baſilij concionantis in ore, Ephræm Oratore dignus Auditor, igneam è cælo linguam impetu magno vibratam, pari velocitate moueri; decebat cælum videlicet, linguam ei commodare, qui pro cælo ad homines aduerſùs terram, & inferos, tam diſertè perorabat. Vidit Dominici felix parens, tot ſacrorum, & hominum, & Oratorum millibus, vno in puero, fœta facem in ore canis ardentem; nempè Dominico, *Amphilo. in compar. Baſil. & Ephr.* *Hiſt. S. Dom. par. 1. lib. 1. cap. 3.*

poſteriſque; fax fuit ſemper in ore facundo prò linguà, quibus loqui nil aliud vnquam fuit, quàm doctrinà prælucere, quàm vrere mentes pietate. Facem hanc vides & linguam? Linguam IVONIS audis, ac vides, dùm cæleſtis Orator è pulpito, ea miſcet incendia pietatis, quibus Aremorici littoris perenne frigus, ac gelu, IVONIS voce ſoluta, vltro naturà cedente miraculo conflagrarunt. Quanta vis inerat illi! quātus ardor! cum in concionem aduocatà Ciuitate, nondum expeditâ veteribus impietatis erroribus, finem haud fecit ante dicendi, quàm facerent Auditores ad vnum omnes initium, vitam in melius, & errores in ſtudia veræ pietatis religioniſque commutandi. Lateritiam inquiebat Auguſtus Vrbem inueni, marmoreā reddidi, laus Cæſare digna, quis abnuat? ſed Vrbem illam Ivo marmoream inuenit, & ſaxeam, nempè ſceleribus induratam; at auream fecit igne facundo linguæ cæleſtis, quæ veluti ſolis ardor in intimis terræ viſceribus, ſic vel in ſceleratorum animis aurum creat. Vidit hoc ſcilicet Dæmon, & inuidit, qui ab hoc igne, ſibi grauius quam ab eo, quo torquetur in inferis, metùebat; atque vt illius ardorem extingueret, vel impetū certè retardaret, aquam opponit IVONI, & fluuium exundantem cōcionaturo de more pergenti

Suet. in Aug. cap 29.

Flumen medium diuidit. Sur.

genti ad oppidum inſidiator obiecit. Exiſtimauit aquarum eluuione tantâ, tantillam ignis particulam IVONIS in linguâ extingui facilè poſſe: Sed impurus Tenebrio neſciebat non obrui fluminibus caritatem. Renouauit ille ridiculum ſuperſtitionis antiquæ certamen Aegyptios inter & Chaldæos, de Numinis ſui dignitate, ſed diſpari prorſus euentu. Contendebat Conſtantinopoli Chaldæus ignem habere ſe Deum qui Deorum omnium Victor eſſet, eoſque conſumeret quot quot eſsent; oppoſuerunt Aegyptij Nilum, Numen ſuum: concurritur ab vtroque, dicto certamini loco, dieque; Exſtruitur ignis à Chaldæo, cui cõfidenter Aegyptius impoſuit ſtatuam Nili, ſed aquâ repletam, quæ cerâ ſubindè liquefactâ, ſeſe per multiplex vndequaque foramen emittens, opprefſum ignem extinxit; ridiculâ tamen ac funeſtâ ſibi victoriâ, nam conſumpta ſimul extincto cum igne, nuſquam deinde cõparuit, vt præmio belli potireretur. Ita, vt Igneam, ac ſibi fatalem IVONIS linguam extingueret Dæmon, emiſit fluuium in certamen; ſed Igni Victori, hìc trepida ceſsit aqua, receſsitque nouo prodigio viam præbens; Nondum opinor intellexerat peritiſsimus licèt Inferorum veterator ac vulpio, durum eſſe ſicut Infernum, Amorem; vt illius ignis nullo fletu, & lacrymis: ſic iſtius

Cant. 8.
Ruffin. lib 2. hiſtor. Eccleſ.
Cant. 8.

flam-

flamma nullis vnquam Aquis extinguitur.

Vt Oratoribus è ſuggeſto flāmā ſuaui; ſic è Tribunali Iudicibus igne vindici ardet lingua. Pulchritudinem illic habet, ac lucem ad ſuaues animorum illecebras: acerbitatem hìc retinet, & calorem, ad ſcelerum vltionem. Illìc mortalium mentes è tenebris vitiorum in amœniſsimam lucem virtutum emittit; hìc luce indignos, in tenebras meritæ mortis antè diem, ſeuerè detrudit. Illìc lucendo blanditur; hìc acerbè furit
Dan. 7. vrendo. Prolaturus ſententiam ſummus ille mor-
Origen. hom. 9. in Leuit. talium Iudex in Belluam, quæ ſupremæ mundi calamitati prælud et immanitate tyrānicā, igneo ſedet in ſolio; ſeptus igne ſatellite, fluuiumque vorticibus igneis æſtuantem emittit ab ore. Nempè ſuum, quoquè Iudicibus flumen verborum eſt, ſed igneum, quo naufragum ſcelus obruatur, nullà ſpe ſcilicet enatandi, & innocentia tutò vecta, nullo piratarum periculo, quibus ignis feralis eſt, in ſecuritatis portum inuehatur. Potentum gratia, diuitum opes, optimatum fauor, illecebræ blandientium, Sycophantarum Captiunculæ, Contortiunculæ ſubſcriptorum; Concenturiatæ technæ Rabularum, forenſium hirudinum inſidiæ, quotquot id genus in Iudicijs veteratoria fori machinamenta ſyluefcunt, nil aliud vnquam huius ignis ardori fuere, quàm

arida

arida ſtrues ligni vitiati momento conſumpta: In hoc igne ſeueritatis integerrimæ, innocentiæ ſoli ſemper licuit eſse Salamandræ. Quotquot acceſserunt animalia, vitiorumque monſtra periere. Sed dum è Tribunali flumen igneum ab IVONIS ore deuoluitur, mirò ſanè conſortio fluit ab oculis flumen aliud frigidum lacrymarum, dum ſententiam ille nullam profert ſine gemitu lacrymiſque. An veluti ab Iudice ſummo, ſcelus mortalium aquà punitum igne poſtremò delebitur, ſic vt in criminis vltionem non ignis tantùm ab ore, ſed & aquæ ab oculis eluuionem adhibeat. An vt, cum cupiat exulare longiſsimè quicquid impiũ eſt, & abnorme, ſceleribus, Aquà, & Igni ſolemniter interdicat. An potius vt temperet ſeueritatis ardorem, ſuauitate clementiæ, & vel dum cogitur ſæuus eſſe, quà licèt tamen ignoſcat. Athenis antè Iudicium cæſæ victimæ ſanguine ſubſellia reſpergebant, inclementer oppidò factum; vt punire diſcerent antè, quam crimen, & prius popæ vel carnifices, quàm Iudices eſſent. Quantò clementius IVO; qui tribunal antè Iudicium ſpargit imbre lacrymarum, & fortunam Rei priùs experitur, quàm Iudicem agat. Nimirum ſe victimam priùs cædit clementiæ, quàm Reum, & ſcelus ſeueritati iuſtitiæ. Non poterat ore mitis eſſe, ſed oculis fuit.

Collacrymatur antequam ſententiã proferat. Sur.

Sigon. de Rep. Athen.

fuit. O ſuperi! ſi tam clemens fuit IVONIS ſæuitia, quid facient clementia pietaſque, dum poſito Iudice tandem, in illius ore triumphabunt.

Longè fuit ardentior ignis ille, qui toties pro innocentiâ feliciter perorauit in linguâ Patroni, quam qui fraudes, & ſcelera conſumebat in Iudicis ore. Igneam eſse debere Patroni linguam in foro præcipuè perorantis, vetus oraculum fuit è veteris facundiæ cortinâ profectum. Nil damnatum fuit acerbius in Oratore, quàm frigus, nec incaleſcere ſatis credebatur, niſi fulminibus forum permiſceret. Ardeat Orator, inquit ille, ſi Iudicem velit accendere: Patrono ſolis oculis frigere conceſsum eſt; Quanquam nec frigus eſt illud in fletu, ſed calidus imber oculorum, poſt fulmen oris, & linguæ. Hoc fulmine lingua potiſsimùm IVONIS exarſit, dum innocentiam paupertatis, improborum calumnijs, & artibus impetitam, igne facundo muniuit. Nihil illa non permeat ſemper victrix, dum pro innocenti pugnat egeſtate. Nuſquam non forum eſt IVONIS eloquentiæ, dum pauperem videt. Nuſquam non inuenit argumenta, dum gemitus audit egenorum. Nuſquam non Iudicem habet, quem exoret pro paupere, dum occurrit ei pro Paupertate quod oret. Vel elementa facit aurita dum cauſam agit egeni, ſi ho-

Fab. lib. 12.

Dem. Phal.

Cic. 2. de or.

mines

mines inuenit ſurdos. Pauperis ædes ardebant incendio fortuito, ſpem tenuem, ac fortunam peranguſto lare non maiorem flamma cum miſerabili domo vorabat. Furebat atrociori cum ſonitu, quam vt audiret gemitus eiulantis, & iam excreuerat maior, quam vt aquis auxiliaribus, nedum lacrymis cederet infelicis. Mouere tamen IVONEM hi gemitus, cauſam illius ſuſcipit apud ignem, & iam Victori cedere perſuaſit. Igni videlicet ignis ceſsit, nam ſenſit eſſe cæleſtem, qui loquebatur in IVONE. Ex quo formatus eſt ignis cæleſtis in linguam, factus eſt ſimul, vt audiret, terreſtris, auritus. Excreuerat flumen in immenſum, & iam impatiens pontis, extra litus, & alueum, effractis obicibus effundebatur impunè. Cauſa defertur ab agreſtibus ad IVONEM, vt non tractabile flumen reuocaret ad leges, & Iura; loquitur ille fluctibus vni non ſurdis IVONI, tam diſertè, vt ſe ipſi ponte iungerent, nullà mortalium induſtrià, ope nullà. Rei fuerunt, ac Iudices IVONE cauſam orante, ſeque ipſos vltrò mulctarunt, ne caderet causà Patronus. Mirum deindè profectò, niſi paupertatis cauſam apud homines ſemper obtinuiſſet, qui perſuadebat elementis. Hoc Patrono triumphabat in foro Paupertas, quæ interdum hac ætate non prodit in forum, niſi vel nomine ſolo Rea.

Precibus reſtinguit incendium.

Pontem miraculo fabricat.

Vlti-

Vltimum eſt non rarò crimen egeſtas; & deliquiſſe plus ſatis habetur, ſi quem fortuna damnauit. Oculis carebat olim Iuſtitia, caret illis hodieque: olim, vt diuites non videret, at nunc, ne pauperes aſpiciat. Habebatur olim in pretio iuſtitia, nunc habetur, & longè maiori: olim quod in Iudicijs ſanctè coleretur, nunc quod interdum ab aliquibus pretio grandi vendatur. Hoc pretio caret egeſtas, caret idcircò nonnunquam linguis, & eloquentià Patronorum; Videlicet non igneas habent linguas, vt IVO, ſed Aureas, nonniſi auro loquuntur.

Alex. Aphrod.

Hoc dedecus aliquorum qui hanc ætati noſtrę maculam, immerenti licet inuſſerunt, integritate veſtrà deletum eſt, quotquot in hoc ampliſsimo cœtu ſedetis æquiſsimorū Iudicum pars integerrima, pars facundiſsima Patronorum. Quod expreſſi adhuc in IVONE, id in Vobis Roma, Romęq. Mundus agnoſcit; & quem ſolemni quotannis IVONEM honore celebratis, eundem in vobis quotidiè ius dicere gaudet, & porrò dicere optat, vt facit. Eam vt ſpem Orbi conſeruetis, LINGVAM hanc IGNEAM omnes è cælo demiſſam ad Iudices, & Patronos, è Patronis, atque Iudicibus facti Clientes IVONIS accipite. Mercurio Iuris, & eloquentiæ Deo litatum eſt ab antiquis linguà è ſacrificio coniectà in ignem; ingenio-

Euſtath. in 3. Odyſs.